



V

100th

alt. Nr. 209.

Fürstenf. 2. 3 andere Schriften

P. VIII. 109.

2d

DISPUTATIONUM THEOLOGICA-
RUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
CHRISTIANÆ ARTICULIS,
IIII.

De

PROVIDENTIA DIVINA
ET
PRÆDESTINATIONE SIVE
ELECTIONE FILIORUM DEI
AD VITAM AETERNAM

Quam

In celeberrima Academia VVittebergensi

IMMANUELE Auxiliante

SUB PRAESIDIO

VVOLFGANGI FRANZII,

SS. Theologiæ Doctoris & Professoris
publici,

Collegis examinandam proponit

M. HIERONYMUS TRINCKUSIUS

Mæno-Francofurtanus.

IN TEMPLO ARCIS

Idibus Januarij.

VVITTEBERGÆ,

Ex Officina Johan. Gormanni

ANNO M. DC. XII.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or index of some kind, possibly containing names and titles.

Faint, illegible text at the bottom of the page, possibly a signature or a date.



DISPUTATIO

De

Providentia divina.

QUAESTIO:

*An & quomodo Providentia gubernentur omnia,
quae fiunt in mundo?*

Propositio I.



SI verum sit Deum conditorem coeli & terrae, singulis creaturis ab initio peculiare quaedam indidisse vires, & hunc agendi modum attribuisse, ut jam pro naturae ejus inditae ratione singula agere, & moveri semper possint: tamen non ideo discessit à suo opere, hoc est mundo condito, ut architectus à domo ceu navi extracta, fortunæ ut loquuntur vicibus eam relinquens.

II. Sed adhuc hodie operi suo adest, naturas à se conditas vivificat, conservat, gubernat, ac omnia quae fiunt in hoc mundo curat. Deut. 30. v. ult. Psal. 119. v. 91. Exod. 4. v. 11. Psal. 65. v. 10. Gen. 28. v. 20. & 21. Ioh. 5. v. 17.

III. Neque hæc tantum in rebus naturalibus facit, verum etiam in voluntarijs hominum actionibus, quas regit, & inclinatur, pro sua bona voluntate.

IV. Nam sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Domini, super omne, quod voluerit, inclinabit illud. Et quis est, qui dixit fieri aliquid, Domino non præcipiente, de ore altissimi non egredi nec mala nec bona? Prov. 21. v. 1. Thren. 3. v. 37. Quibus addantur sequent. Iob. 1. v. 21. Ecclesiastici c. 11. v. 14. Amos 3. v. 6. Esa. 45. v. 6. 7. & 8.

V. Hoc ipsum non tantum Experientia, verum etiam sacrarum literarum monumenta. cum Veteris, tum N. T. historiaeque fide dignissima quam plurimæ testantur.

VI. In V. T. admirando modo Deus Noah cum septem animabus per integri anni spacium, in sævissimis fluctuum jactationibus, fragili navi conservavit Gen. 7. v. 13. Innumeram populi Israelitici multitudinem per mare rubrum (quod viginti ferme miliaria fuit latum, ut ex Cosmographorum descriptionibus apparet) duxit Exod. 14. v. 22. 29. & 30. Psal. 106. v. 9. panibus cælitus datis per annos quadraginta cibavit Exod. 16. v. 35. Num. 11. v. 7. Psal. 78. v. 24. Sap. 16. v. 20. Abrahamum, Isaacum, Jacobum, Josephum, Moysen, Davidem, Elam, Elisæum & Jobum mirabiliter curavit atque defendit. Gen. 12. v. 1. c. 26. v. 2. c. 28. v. 13. c. 45. v. 5. Exod. 25. 1. Sam. 16. v. 12. 1. Reg. 17. v. 9. 2. Reg. 6. v. 18. Job. 1. v. 12.

VII. In N. T. clementer ac potenter Magos, Josephum, virginem Mariam, Petrum, Paulum ac Timoth. protegit, eorumq; curam gessit Matth. 2. v. 12. Actor. 12. v. 7. c. 16. v. 6.

II X. Turpissimè igitur errant Epicurei, qui temerè omnia in hoc mundo, & fortuito casu, sursum deorsum ferri arbitrantur.

IX. Non minus perniciosus error est, quòd quidam, etsi Deum omnia fieri arbitrentur, rerum tamen omnium administrationem illi adimant. Sicut Plinius indignum Deo, & nimis molestum fore, ideoque irridendum, affirmare, ipsum rerum humanarum curam gerere, scribit, lib. 2. cap. 7.

X. Sic quoque Taurellus, alias hoc nostro seculo Philosophus celeberrimus, censet Deum hodie nihil agere, nec providentiæ ejus esse opus: nisi fortè in rebus humanis varietati fortunæ subiectis. Reliqua omnia esse semel à Deo tam perfectè disposita, ut non ruant, quia extra se hostem nullum habent, cujus vim reformident. Vide ipsum in synopsi metaph. pag. 129. 130. 131. itemque lib. 2. alpium quæst. 6. pag. 241. Et ibidem in præfat. ad lect. pag. 30. lib. 1. de rerum æternitate pag. 159. lib. 1. de cælo cap. 6.

XI. Nec multò præclarior Stoici de Deo sentiunt, non sine horribili errore fingentes, Deum ita ad causas secundas alligatum esse, ut nihil absque illarum ministerio agere queat, aut quod necessitas ex perpetuo causarum complexu in rebus dominetur, quod ipsi Fatum vocarunt, cujus definitionem vide apud A. Gellium lib. 6. cap. 11.

XII. Ab hac Stoica impiâ prorsus & ex Ecclesia Christiana eliminanda sententia nec latum quidem unguem recessit: Justus Lipsius Stoicæ sectæ propugnator acutissimus lib. 1. de const. c. 19.

XIII. Cum primis autem Calviniani (belli fax & tuba) suis placitis adstruunt. vide Calvinum in instit. lib. 3. cap. 23. sect. 6. & 9. Bezam cum sequacibus suis in Mompelg. colloquio. ad dogma 8. de prædest. fol. 519. Piscat. Herbornensem in Animad. Log. l. 2. c. 3. Herm. Renech. in aurea suæ salutis catena cap. 6. pag. 28. Hyper. Profes. olim Marpurg. lib. 1. Method. p. 258. alios quam plures huc non vocabo. numerus enim nimium excreceret: hoc tantum annoto illos stoissare.

XIV. Absit autem & ad Garamantes atque Indos profligetur Stoicorum impia ac blasphema sententia, quam non solum Sacra Scriptura verum etiam S. Patres impugnant. vide Iren. lib. 4. Tertullian. lib. 2. contra Marcion. Ambr. lib. 2. de vocat. gent. cult. Fulgent. lib. 1. ad Monimum, August. lib. 8. confess. c. 5. Hinc B. Gregorius homil. 10. in Evang. *absit, inquit à fidelium cordibus, ut Fatum esse aliquid dicant.*

XV. Deus enim non ita alligatus est ad causas secundas, aut Fato est obnoxius, eoq; trahitur uti blatiunt Stoici; sed ita adest, & operatur adhuc quotidie ut liberrimè unum quodque regat, ac moderetur sua sapientia: sicut ab æterno decrevit, quid facturus sit, & ad finem suum disponat, procuret universa, eis prospiciat, suaq; omnipotentia exequatur.

XVI. Potest etiam quando & ubi vult, vel impedire, vel promovere secundarum causarum actiones. Imò etiam absque illarum ministerio, sed neque hoc solum, verum præter illarum naturam agere. Hinc Irenæus, Deus, inquit, est melior quàm natura, habens apud se ipsum velle, quoniam bonus est, & posse, quoniam potens est, & perficere quoniam dives & perfectus est lib. 2. c. 52.

XVII. Nec non minus verè quàm pulchrè ait Poëta:

Non Deus est nomen Parcarum carcere clausum,

Quale putabatur Stoicus esse Deus,

Ille potest Solis (a) currus inhibere volantes,

Ille ve u scopulos (b) flumina stare jubet.

(a) Ios. 10. v. 13. (b) Exod. 14. v. 22. Psal. 78. v. 13.

A 3

18. Ita

XII. Ita Deo volente nec vestes nec calcei, per annos 40, quibus in deserto sunt vagati Israelitæ, sunt attriti. Sic contra ordinem causarum secundarum impedivit pluvias 3. Reg. 18. v. 44. Ecquid mirabilius historiâ trium virorum, qui medijs in fluminis, non illasi tantum & intacti, sed læti, sed exultantes, sed tripudiantes & quasi lætibundi divinasq; laudes concinentes deambulabant?

XIX. Denique quod ad eventus actionum hominum attinet, affirmat Propheta Ieremias ex Spiritu Sancto: Novi Domine quod non hominis via ejus est, nec viri ambulantis ut præparer gressum suum. c. 10. v. 23. Et Salomon: A Domino sunt gressus viri, & quomodo disponet homo viam suam. Prov. 16. v. 9.

XX. Omnia itaque quæcunque fiunt in tota rerum natura, Dei Providentia fieri constanter asserimus.

XXI. Est autem Providentia, græcè *πρόνοια*, actio Dei, qua non solum omnia cernit, & futura nobis. prævidet, verum etiam naturas rerum à se conditas conservat & gubernat, ac generi humano præcipue, alijs quoque creaturis, de omnibus rebus necessarijs prospicit, bonas juvat, ac defendit, malas verò actiones determinat, atque punit.

XXII. Hoc loco observandum est Providentiam Dei ab ejusdem Præscientia differre.

XXIII. Hæc enim *πρόγνωσις* græcis dicta, definitur noticia sive cognitio Dei, qua ille omnia antequam fiant, prævidet & præscit; ad omnes creaturas tam bonas, quam malas se extendit.

XXIV. Illa rerum creaturarum omnium, quatenus creaturæ sunt, & in cursu suo naturali manent, communis est, & eventorum omnium gubernationem respicit. Id quod vocis Etymologia probatur. Videre enim (*ראה*) Hebræis in conjug. Kal, idem est ac providere, curare & prospicere.

XXV. Ut autem omnia sint evidentiora, usum vocabuli hujus ex ipsissimis fontibus Israelis monstrabimus. Gen. 22. cap. v. 8. sic habent Abrahæ verba:

וַיֹּאמֶר אַבְרָהָם אֱלֹהִים יְרֵאָהּ. לוֹ הַשָּׁה לְעֵלְיָהּ בְנִי
Et dixit Abraham Deus videbit (*ὄψεται ἑαυτῶ*) sibi agnum in holocaustum mi fili. Heros ille verè *θεόπειται* & Lutherus videlicet in margine Bibl. Germanic. sic interpretatur: Gott sibes

siehet vnd weis wol/wo das schaffsen/las ihn dafür sorgen/ er sihets
besser denn wir. Gen. 41. v. 33. Et nunc videat (\aleph) provideat)
Pharao virum intelligentem & sapientem. I. Sam. 16. v. 17: Et di-
xit Saul ad servos suos: videte (\aleph) provideate) nunc mihi virum
beneficientem modulari & adduretis ad me. I. Reg. 12. v. 16: Nunc
vide (\aleph) domum tuam David. &c.

XXVI. Tribuitur autem Præscientia Deo $\alpha\iota\omega\tau\omega\varsigma$ $\kappa\alpha\iota$ $\alpha\iota\omega\tau\omega\tau\alpha$ $\delta\omega\varsigma$ quod illius respectu nihil sit futurum nihilq; præte-
ritum; omnia enim ipsi sunt præsentissima, & uno simplicissimo
actu intuetur ab æterno, quia nimirum est ipsa æterna, infinita Sa-
pientia, quæ cum intuetur omnia scit & intelligit, nostri autem
respectu, Deus præscire dicitur. Ideoque dico, cum D. Petro Pi-
scatore affine meo piè defuncto disput. 20. loc. com. 7. th. 5. quod
Deus sciat potius ac videat propriè, quàm præsciat aut prævideat,
quemadmodum usitatè loqui solemus. Loquimur autem de Deo
ut possumus sicut etiam ipse nobis condescendit, sequè ad caprum
nostrum accommodat. *Impossibile enim est humana menti (ut rectè
Dionysius Areopagita monet de cœlesti Hierarchia cap. 1. circa
medium) ad spiritualem intelligentiam conscendere, nisi mortalium re-
rum similitudinibus formisq; ducatur.*

XXVII. Cæterum quod ad hominum actiones attinet,
sunt illæ vel bonæ vel malæ, ac proinde diversimode illæ divina
reguntur Providentiâ.

XXVIII. Bonarum enim Deus autor est, quas tantum ope-
ratur Deut. 32. v. 4. Psal. 33. v. 4. Psal. 111. v. 7. Soph. 3. v. 5. Gen. 1. v. 31.
Matth. 19. v. 17. Marc. 10. v. 18. Luc. 11. v. 13. I. Ioh. 1. v. 5. Apoc. 15. v. 3.
quas per Spiritum S. in hominibus excitat, vult, præcipit, iuvat,
promovet, approbat, remuneratur, & ad felicem perducit finem
atq; eventum Ioh. 15. v. 5. Phil. 2. v. 13.

XXIX. Nam ex nobis ipsis non sumus sufficientes aliquid bo-
ni cogitare, quasi ex nobis: sed Deus est qui operatur velle scilicet
bonum & perficere, ut aliqua illi à nobis fiant grata. 2. Cor. 3. v. 5.

XXX. Malarum verò actionum, Deus etsi præcognitor sit,
tamen autor non est, cum mala nec velit, nec ijs delectetur, nec
probet, nec iuret, sed prohibeat ac puniat. Gen. 6. v. 5. 6. Ier. 29. v.
23. Execch. 33. v. 11. c. 13. v. 22. Psal. 5. v. 5. Psal. 31. v. 24. Psal. 45. v. 8. Zach.
8. v. 17. Sap. 14. v. 9. Siracid, 15. v. 21. I. Ioh. 2. v. 16. c. 3. v. 8. Iacob. 1. v. 13.

31. Hinc

XXXI. Hinc Damasc. ait l. 2. orth. Fid. c. 29. τὰ πονηρὰ ἢ ὄντως καὶ
καὶ ἔτε περιγυμένως ἔτε ἐπομένως γέλφ. ὡς ἄρα χωρεῖ τῶ αὐτεξίστω:
Mala & revera mala neq; præcedenter, neque consequenter vult
(Deus nempe) finit tamen arbitrium ad illa liberum. Cui consen-
tit Fulgentius l. 1. ad Monim. pag. 43. quando inquit: *Ex voluntate
Dei nunquam processit origo peccati.* Et Augustinum dixisse ferunt: *Si
Dei voluntate homines peccarent, non esset futurum iudicium.* Quin imò
Ethnici negârunt Deum esse autorem mali, commodum Euripidis
dictum: θεοὶ γὰρ αὐ εἰσὶ θεοὶ: εἰ κακὸν τι δεῶσι: Di esse Di cessant,
mali si quid patrant, & Deum malorum causam dici non feren-
dum in bene instituta civitate, sed acriter refellendum esse Plato
perscripsit lib. 2. de Republicâ pag. 79.

XXXII. Quænam ergo mali causa iniquis? verbo dicam ἔρα-
νοπέτης δαίμων, genius cælo lapsus. Sic enim Damascenus: ἀμαρ-
τημα θεοῦ τῆς ἐξείσως γνώμης τῆς διαβολῆς ἕρμημα: peccatū, est libe-
rum diabolicæ voluntatis inventum. Id quod Sacra Scriptura te-
statur Ioh. 8. v. 44. Eph. 2. v. 2. 2. Cor. 11. v. 3. Gen. 3. v. 4. Ioh. 13. v.
2. 1. Timoth. 2. v. 14. & 2. Timoth. 2. v. 26. Sap. 2. v. 24.

XXXIII. Quapropter crassum est & palpabile imò diabolicum
Calvinianorum erratum, qui affirmant Deum esse authorem ma-
lorū ac velle peccata hominum & licet verbis negare videantur, re-
ipsa tamen constituunt. Vide Hulderich. Zwinglium in Elencho
contra Catabaptistarum strophas pag. 127. Calv. in institut. l. 3. c.
23. sect. 7. Theod. Bez. in lib. Quæst. & Respons. Christianorum
pag. 695. & in Colloq. Mompelg. p. 434. Hieronymum Zanch. in
miscell. p. 350. thes. 10. Herm. Renech. in ferrea salutis catena
p. 32. &c. ad quam sanè blasphemiam, pia mens primo statim au-
ditu, quasi contremiscit. Ideoque commentator Damasc. in c. 20.
l. 4. ejusmodi hominibus nihil opponere voluit præter hoc Gre-
gorij dictum: *Confundantur qui Deum authorem malorum arbitrantur.*
Quibus quoq; hoc Theodoretī Dialog. 2. oppono: Illud quod Sacra
Scriptura silentio præterit non est affirmandum. Assume: Atqui
S. S. silentio præterit, quod Deus sit causa mali. E.

XXXIV. Quod verò Calviniani cum Marcionistis ex sacris
litteris Deum peccati insimulare satagunt, eò quod Pharaonem in-
duraverit utpote Beza Resp. 2. ad acta Colloq. Mompelg. p. 175. &

194. Grynæus in thesauro clas. 2. loc. 5. th. 2. 3. &c. Respondemus illis dilucidè.

XXXV. Deum non indurare Pharaonem, suggerendo ipsi malitiam vel etiam duritiem: sed quia sæpius ipsi parcit, sæpius immittas calamitates propter intercessionem Moysis tollit, inde Pharaon incipit redire ad priora peccata & propter suggestiones Magorum à Diabolis impulsorum in iisdem redditur durior & pertinacior. Deus ex misericordi lenitate sæpius tollit plagas: hac lenitate abutitur Pharaon, sicut multi textus in Exodo clarè testificatur.

XXXVI. II. Ex textu Bibl. liquidò apparet illud ipsum, quod Pharaon ipse cor suum induraverit textus, Hebræus sic habet:

וַיִּכְבֵּד אֶת לִבּוֹ Exod. c. 8. v. 15. & 32.

:וַיִּכְבֵּד אֶת לִבּוֹ חוּמָה וְעִבְרִי:
:וַיִּכְבֵּד אֶת לִבּוֹ חוּמָה וְעִבְרִי cap. 9. v. 34. id est: Et addidit ad peccandum, & aggravavit cor suum ipse, & servi ejus. Estq; cum primis notatu & observatu dignum, quod Exod. 8. v. 32. dicitur: Et induravit Pharaon cor suum (וַיִּכְבֵּד אֶת לִבּוֹ חוּמָה) ETIAM vice hac. Quia itaque aggravavit cor suum & perrexit peccare noluitq; Moysen audire nec populum Israel dimittere, ideoque Deus tandem in fine avertit faciem suam ab eo, relinquens eum in tenebris, quas sibi ipse elegit, & tradidit eum Diabolo, veluti executori judiciorum Dei, ejusq; carnifici, ut pœnam infligeret malignis suis suggestionibus. Psal. 35. v. 5. Psal. 78. v. 49. Psal. 109. v. 6.

XXXVII. Quapropter induratio Pharaonis non ἐνεργητικῶς quatenus est peccatum longè atrocissimum, fons & origo aliorum scelerum complurimum Deo ascribitur.

XXXVIII. Et quod dixi eos, qui seipsos indurant, tandem divinitus puniendos tradi Sathanæ nimirum illud est, quod Sacra Scriptura alibi vocat, tradere in sensum reprobum, & desideria cordium. Et non paruit populus meus voci meæ, & Israel non acquievit mihi, & dimisi eum in pertinacia cordis sui, & ibunt in consilijs suis. Rom. 1. v. 28. Psal. 81. v. 12. & 13.

XXXIX. Interim tamen, ne per omnia faciant, quod cupiunt, & libidinem suam expleant, modum statuit Deus, & determinat finem, quousque eos progredi velit, & quando ac quomodo eos sit repressurus ac puniturus, ut de Sancherib rege Assyriorum habetur 2. Reg. 19. v. 33, 37.

XXXV. De

XL. Et saepe Deus efficit, ut alia mala pijs in bonum serviant, quin imò tanta est ejus bonitas, ut male fieri non permetteret, nisi de malo possit facere bene, inquit Augustinus in Enchirid. c. 100. & Fulgentius l. 1. ad Mon. pag. 55. Deus licet author non sit malorum cogitationum, ordinator tamen est malorum voluntatum, & de malo opere cujuslibet non desinit ipse bonum operari.

XL I. Sic Pilatus & Herodes convenisse scribuntur, contra Christum ad peragenda omnia, quaecunque manus & consilium Domini decreverat Actor. 4. v. 27. Et Deum occisionem Christi voluisse, non in quantum erat perversum opus Judæorum occidentium, sed ratione termini ad quem, ut pro mundi peccatis offerretur. Actum enim Iudeorum non voluit Deus, passionem vero Christi voluit, ait Lombardus l. 1. distinct. 48. lit. B. Et Prosper. canit: Actio displicuit, passio grata fuit.

XL II. Hoc modo plures concurrunt causæ, in eodem facto, quæ tamen diversimode sic habent.

XL III. Ut venditio Josephi non sine divina Providentiâ gubernatur. Eandem volunt fratres ipsius, similiter Satan. Sed homines cupiunt Iosephum perditum. Deus vero ex illo malo, bonum operatus est, ut eum ad Principatum Ægypti promoveret. vide Gen. 37. v. 18. c. 41. v. 41. c. 50. v. 20.

XL IV. Huc pertinet totum illud noxium Danielis, quod describitur cap. 6. Cum enim impio edicto de non invocando vero Deo, quod ex livore & invidia Gnathones & Parasiti aulici erga Danielem per fraudem sub & obreptitiè regi extorserant, Propheta parere nollet, sed intrepidus in religionis sincerae professione persisteret: Ecce vel invito rege, Daniel per præceps in lacum leonum rapacissimorum dilaniandus devorandusque abijcitur: Sic furiarum aulicarum libidini satisfactum videbatur. Sed istam *Μητασι* divino nutu providentiâque, *καταστροφῆ* excipit lætissima. Silvus enim & incolumis magno regis cum gaudio & exultatione, è leonum voracissimorum, immaniumque ac famelicarum bestiarum consortio, specuque extrahitur & eripitur: Contrà vero mutata rerum facie, aulici regij, crudeles ac impij, Danielis hostes & persecutores acerrimi, cum liberis suis atque conjugibus, eandem fortunæ aleam in spelunca leonum subire j. bentur, qui vix in lacum

cum rugientium ferarum immitti, projectiq; horribiliter disceptantur ac devorantur. Daniel verò non tantum ipse prosperatur in regno Dariavis & Chores Persæ; verum etiam Deus vivens & permanens literis Dariavis omnibus populis, nationibus & linguis commendatur. Unde liquet consilium aulicorum istorum, quod alias per se erat malum, à Deo conversum fuisse in bonum, nimirum in sui gloriam ac Danielis commodum.

XLV. Ad divinam itaq; Providentiam revocanda sunt omnia, fortes etiam quæ maximè videntur foruitæ esse. Has enim Sacra Scriptura cœcæ fortunæ non permittit, sed regi ac temperari, eas à Domino testatur D. Brentius ex Prov. 16. v. 33. vide Tom. ejus 2. pag. 423.

XLVI. Quod mirum videri nemini debet, cum nec passerulus, imò ne pilus quidem, de capite nostro, sine voluntate patris cœlestis decidat teste Salvatore nostro Matth. 10. v. 29.

XLVII. Hisce ita positis haud immeritò quæri solet, num & quomodo congruat contingentia cum Providentia Dei, cum hæc omnia fieri & regi dicamus.

XLVIII. Verum enim vero divinam Providentiam rerumq; necessitatem, cum contingentia non pugnare, nec hanc illâ tolli firmiter statuimus.

XLIX. Nam Providentia, non affert aut imponit voluntati humanæ malè agenti, vim coactionem aut necessitatem, etiam si afferat necessitatem eventui, qui sequitur necessitate consequentiæ: sed relinquit voluntati hominis libertatem (quæ est vera causa & fons contingentia in humanis actionibus) quâ homo in rebus, rationis judicio subjectis, si non impediatur, vel diabolorum impulsu, vel propria h. e. humana imbecillitate, potest eligere & expetere, vel averfari & rejicere objecta, ac imperare locomotivæ potentia ut aliquid faciat vel omittat.

L. Ut David, cum Saul ipsum persequens, incidisset in manus ejus, à suis admonitus, ut eum occideret: noluit eis morè gerere, sed volens à cœde timore Domini inductus, abstinuit atq; aliter egit.

LI. Sic aliter agere atq; abstinere potuisset, si modò voluisset à Bethsabea, quemadmodum Joseph juvenis cœlebs abstinuit ab herili conjugè, cum etiam ab ipsa ad stuprum pellectus esset Gen. 39. v. 7.

B 2

Non

LII. Non autem ad adulterium perpetrandum absoluta quaedam necessitate fuit impulsus, nec coactus, verum contingenter omnino, & libera voluntate illud commisit, multo vero minus peccavit quia Deus praevidit: sed potius quia peccavit, ideo Deus ipsum peccare praevidit.

LIII. Sic Deus adhuc hodie videt omnia praesens, & intuetur coram res omnes, ut fiunt, omnia enim illi sunt praesentia, & nihil futurum, sicut nec praeteritum: Sed hac sua visione & praescientia non cogit hominem, ut hoc vel alio modo agat.

LIV. Sicut Medicus peritus ex inspectione urinae, & consideratione temperamenti, morbi, & aliarum circumstantiarum, patienti praedicat, vel mortem vel sanitatem, qua tamen praedictione, illum nec mori cogit, nec vivere.

LV. Verum quia ex arte & canonibus suis, rerumque experientia videt & intelligit causas morbi, mortis & sanitatis. Ideo haec praedicat. Nec propter praedictionem sequitur eventus, qui omnino sequutus erat, etiamsi nullus praediceret: sed contra potius, quia videt hunc effectum sequuturum, ideo illum praedicat.

LVI. Ita vir prudens videt ingenium, mores, malitiam atque pravitatem alicujus juvenis, cui praedicat ille tristem eventum, qui sequutus est, manentibus iisdem causis. Perit dissolutus, non quia prudens praedixit, quia alius peritus erat, etiam si nemo praedixisset: sed ipse sibi causa est interitus, & suis nequissimis moribus malitia propriaque pravitate sibi exitium accerhvit.

LVII. Sic Noah iustitiae praeco 2. Pet. 2. vers. 5. videns terram esse corruptam in conspectu (לְעֵינַי) Dei, omnemque carnem viam suam super terram corrupisse, praedixit ei per centum & viginti annos (מֵאָה וְעֶשְׂרִים שָׁנָה Gen. 6. v. 3.) diluvium. Anno sexcentesimo annorum vitae Noach mense secundo decimo septimo die mensis, aquae diluvij inundaverunt super terram, rupti sunt omnes fontes voraginis multae (מְצוֹת מְרִיבֵי מַיִם) catactae caeli sunt apertae, cap. 7. vers. 10. 11. & obijt omnis caro reptans super terram vers. 21. delevitque Deus omnem substantiam quae super faciem terrae (erat) ab homine usque ad jumentum v. 23. Sap. 10. v. 4. Hoc autem factum est non quia

Noah

Noah prædixit, sed quia in sua incredulitate profana & carnali securitate ac impietate perseverarunt, verbum Dei spreverunt ac enormiter peccarunt. Hinc D. Chryostomum dixisse ferunt: Si fidem adhibuissent concionibus Noe, timuissent Deum ac veram pœnitentiam egissent, Deus ipsos non delevisset.

LII. Idem fere de providentia Dei est iudicium & sententia. Quod enim ad hanc attinet, tam bona quam mala fiunt quidem necessario sed secundum suam naturam, antea declarata & quoad nos in actionibus humanis verè sunt contingentia, nec collitur libertas hominis.

LIX. Huc respicit D. Hieronymus in c. 26. Jeremiae super verbas si forsitan audiant & convertantur &c. in hæc verba scribens: *Non potest, inquit, Majestati Domini convenire, sed nostro loquitur affectu, ut homini liberum servetur arbitrium, ne ex præscientia ejus, quasi necessitate facere quid, vel non facere cogatur. Non enim ex eo, quod Deus scit, futurum aliquid, idcirco futurum est: sed quia futurum est, Deus novit, quasi præsciens futurorum.* Sicut & super Ezech. cap. 2. ubi eadem verba Prophetæ habentur: ideoq; eandem repetit sententiam dicens: *Loquitur hæc Deus ambigentis affectu ut liberum hominis monstretur arbitrium, ne præscientia futurorum mali, vel boni, immutabile faciat, quod Deus futurum noverit. Non enim quia ille futura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præscivit: sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum, quasi Deus.*

LX. B. Hieronymo ad stipulatur D. Augustinus lib. 5. cap. 10. de civitate Dei, ejus verba huc sunt: Si definitur, ait, esse Necessitas, secundam quam dicimus Necesse esse, ut ita sit aliquid, vel ita fiat, nescio cur eam timeamus, ne nobis libertatem auferat voluntatis. Et postea: Quocirca a nullo modo cogimur aut retentæ præscientia Dei, tollere voluntatis arbitrium, aut retento voluntatis arbitrio, Deum, quod nefas est, negare præscium futurorum. Sed utrumq; amplectimur, utrumq; fideliter & veraciter confitemur, illud, ut bene credamus, hoc, ut bene vivamus. Male autem

em vivitur, si de Deo non bene creditur. Paulò post: Neq; enim
ideò peccat homo, quia Deus illum peccaturum præscivit, imò ideò
non dubitatur ipsum peccare, cum peccat, quia ille, cujus præscien-
tia falli non potest, non fatum, non fortunam, non aliquid aliud,
sed ipsum peccaturum præscivit esse: Qui si nolit omninò non
peccat, sed si peccare noluerit, etiam hoc ille præscivit.

LXI. Idem scribere videtur Chrysoſtomus concionator oris
verè aurei super 1. Cor. cap. II. (Francisco Aretino interprete)
ejus verba hæc sunt: *Christus inquit: Neceſſe eſt ut veniant
ſcandala: attamen neq; libertatem arbitrij his verbis tollit:
neq; neceſſitatem aliquam & violentiam vitæ imponit, ſed
quod procul dubio ob pravam hominum mentem futurum erat,
predixit. Quod quidem futurum erat, non propter ipſius prædi-
ctionem, ſed propter eorum, qui curari non poterant, voluntatem.
Non enim quod hæc prædixerit, idcirco hæc facta ſunt,
ſed cum procul dubio futura eſſent, ideò prædixit. Nam ſi neceſ-
ſitatis eſſent ſcandala & non voluntatis eorum, qui ea mo-
vent: ſuperfluum eſſet, quod dixit: vae homini illi, per quem
ſcandalum venit. Hactenus Chryſoſt.*

LXII. Quamobrem Providentia divinã non tollitur libertas
voluntatis humanæ nec cogi poteſt in actionib. rationi ſubjectis,
ſed perpetuò retinet eligendi libertatem.

LXIII. Cæterum hæc, quæ de divina dicuntur Providen-
tia, non in Scholis, & umbra tantum verſari debent, atque
nudis ſpeculationibus contemplanda, ſed ad uſum ſunt tranſfe-
renda.

LXIV. Uſus verò hujus doctrinæ non eſt ut credamus omnia
temerè, aut caſu fortuito ferri ſicut Epicuræi ſomniant.

LXV Sed omnia Providentia & diſpenſatione Dei, ideoq; ſemper
ad primam reliquarum omnium cauſarum motricem ac
gubernatricem, Deum nempe ejusq; promiſſiones & commina-
tiones, reſpiciendum eſt.

LXVI. Et hoc modo fides in Deum augenda & confirman-
da, felixq; eventus in omnibus ab ipso petendus & expectan-
dus.

LXVII. Hinc quoq; tentationibus medendum, quibus pijs
etiam saepe in adversis exercentur, cum vident bonis male esse, &
e contra malis bene, ut dubitare incipiant, num res humanae Deo
curae sint, & omnia regantur Dei Providentia Psal. 73. vers. 2.
Jerem. 12. v. 2. 3.

LXVIII. Et statuamus quoq; contagiosam illam luem pesti-
lentiæ, quæ hisce exulceratis & postremis temporibus, in tota
Germania serè grassatur immanitate non exigua, non temerario
curso ferri, sed divina regi providentia mirabiliter ac potenter,
qua adeò curiosè nos observat & custodit, sicut pupillam
oculi homo, ne capillus de capite nostro decidat Matth. 10.
vers. 30. quippe Deus facit, inquit Psalmista, redire homi-
nem in comminutionem (נִבְּרָ) imò nullus sine ipsius scitu & sin-
gulari providentia peste ex inguitur: etiamsi sit וְיָנֵם homo vorago
mortis & infirmitatibus expositus: teste viro Clarissimo atq; ex-
cellentissimo Dn. M. Laurentio Fabritio Hebr. linguæ Professo-
re, præceptore ac fautore meo plurimum colendo in analysi super
Psal. 90.

LXIX. Consolationem igitur petamus, in innumeris, quæ
nos circumveniunt, malis, ut securè in Dei Providentiam recum-
hamus, eiq; securè nos permittamus, scientes, quod omnibus pijs
suis angelos אַלְהֵימָא castra Dei, vel ut Paraphrastes chaldai-
cus reddidit, castra à facie Dei, custodes ac vigiles præfecerit, qui
castrametentur in circuitu timentium eum, qui Ecclesiam
ejusq; cives singulos & universos, muro quasi aheneo ceu igneo
undiquaque circumdent, & à contagiosa lue, bello alijsq; infi-
nitis periculis præsent immunes. Gen. 32. vers. 2. Psal. 34. vers. 8.
Job. c. 1. 2. Reg. 6. vers. 17. Zach. 2. v. 5.

LXX. Inq;

LX X. Interim tamen in timore Dei vivamus, nihilq; quod nostri est officij quicquam intermitamus, sed nos ab omnibus malis liberari, & Spiritu Sancto, quem se petentibus daturum promisit, petamus, dicentes: Scimus Domine, quod non est hominis via ejus, nec viri ut ambulet & dirigat gressus suos. Semitas tuas doce nos, & dirige nos in semita recta, illumina oculos nostros verbo tuo, ut te omnium rerum gubernatorem agnoscamus, teque semper laudemus ac celebremus.

A M E N.



Dispu-

DISPUTATIO

De

Prædestinatione sive Electione filiorum Dei ad vitam æternam.

QUESTIO:

Utrum ex re sit Disputationem de Prædestinatione instituere?

Propositio I.

Deum nemo vidit unquam nec videre potest, nimirum in hac corrupta natura ceu oculis corporalibus ut sacrarum literarum monumenta testantur Exod. 33. v. 23. Joh. 1. v. 18. Matth. 11. v. 27. Luc. 10. vers. 22. 1. Tim. 6. v. 16. 1. Reg. 8. vers. 12. 2. Paralip. 6. v. 1. 1. Corinth. 13. v. 12. Tanta est humani ingenij in rebus divinis cæcitas, ut ad Deum ejusq; veram agnitionem non secus habeat ac Nycticoracis oculi ad clarissimum solis splendorem.

II. Et tamen tanta est Zuinglisequorum audacia, ut non vereantur, in penetralia quasi Dei irruere & ad rationis humanæ lacunas delabi, de quibus rectè Poëta ait:

*Est gens Icarijs ratio quam vectitat alis,
Gens invisæ Deo, blasphema, mala, horrida, vana,
Quæ solet in Triados veneranda palatia, gressu
Turpiculo irruere, & causas, casusq; supernæ
Curie, ad examen tenebrosi appendere sensus,
Gens hæc sub Calvo gestat vexilla Magistro.*

III. Cum igitur ratio humana verè cæca in divinis 1. Cor. 2. v. 14. & tenebrosa pugnans cum fide ac verbo Dei teste B. Luthero Tom,

Q

ro Tom,

ro Tom. 4. Germ. Jen. fol. 48. via legitima & ordinaria in per-
scrutandis abditis divini consilij mysterijs non incedat, mirum
non est, eam impingere, & in præcipitia securitatis vel despera-
tionis ruere.

IV. Sed nos homines imò vermiculos reptantes super faciem
terræ (teste B. Bernhardo in serm. super Evangel. Quasimodoge-
niti) esse meminerimus, & non arroganter de nobis sentiamus
aut ea quæ nobis sunt altiora quæramus aut fortiora scrutemur, uti
Syracid. c. 3. v. 22. sapienter admonet: sed quod nulli datum est exe-
periri, nullus conetur effari. Bernhard. serm. 4. omnium sanct.
Deus enim secretum sibi præservavit, & non prius quam dies eve-
nerit novissimus revelaturus est testantur Dd. Scholastici in inter-
pretatione S. Hieronymi super cap. 24. Esa. Hinc D. Chemnit. parr.
1. Loc. Com. de causa peccati pag. mihi 159. *Sicut Deus, inquit, non
debit nobis omnium suorum operum rationem reddere: ita nec nos decet scru-
tari.* Secus qui fecerit opprimetur à gloria inquit Sapientissimus
rex Salomon Proverb. 25. v. 27. juxta veterem versionem.

V. Illa verò quæ nobis Christus Salvator mundi præcepit,
scrutemur ac quæramus, nimirum, Scripturas (*γραφαίς*) Joh. 5.
v. 39. *Ἐπιπέσω ὑγιαίνοντων λόγων* 2. Timoth. 1. v. 13. retinentes
primo omnium regulam Apostolicam, quam Romanis tradidit,
cum inquit: Quæcunq; antè scripta sunt, ad nostram doctri-
nam antè scripta sunt, ut per patientiam & consolationem scriptu-
rarum spem habeamus. Rom. 15. v. 4.

VI. Ex qua elicio *πρόσμα* hoc: Quicquid spem hanc labe-
factat & consolationem evertit, quæ pijs in Evangelio proponi-
tur, illud non à Spiritu S. proficisci, sed ad Diabolum qui est mil-
le opifex fraudum scelerumq; magister & autor referendum esse.

VII. Proinde doctrina Prædestinationis ab omnibus ita tra-
ctanda & docenda est, ut consolationem augeat, & spem piorum
hominum confirmet: quæ fide, tanquam *ὑποστάσις*, seu funda-
mento firmissimo nititur, & possessores suos minimè confundit.

VIII. De illa itaq; non ex humana ratione ut pestifera bestia
judicandum est.

IX. Sicut enim ratio humana in articulis fidei cæca est, ita
hunc quoq; de Electione hominum salvandorum profus ignorat.

X. Eam

X. Eam qui sequuntur turpissimè hallucinantur, ut videre est proh dolor in Calvinianis, qui ad captum humanæ rationis mysteria divina examinant & tandem eò perducuntur, ut cogitent absolutum decretum Dei factum esse, de quibusdam necessariò salvandis, qui in æternum non possint damnari, & de quibusdam necessariò damnandis, qui in æternum non possint salvari.

XI. Sic enim scribit Calvinus inconstans, lib. 3. inst. c. 23. §. 3. & 8 Deus ab æterno, inquit, & immutabili consilio semel constituit, quos olim assumeret in salutē, quos rursus exitio devoveret.

XII. Eandem doctrinam inculcat avarus iste Beza (Hebr. ^{וְיָצַד} avaritia Pl. 119. v. 36.) statuens Deum decrevisse alios perdere, alios servare *ex mera divina voluntatis absoluto proposito*. Vol. 3. fol. 426.

XIII. Cui impietati & blasphemix adstipulatur Herbornensis Nugator, Piscator dicere volebam, in disput. de Præd. thes. 88. *Voluntas perdendi, ait, & voluntas salvandi absoluta est, nec pendet ab ulla conditione.*

XIV. Piscatori subscribit Herman. Renech, in catena salutis aurea magis ferrea p. 36. & 37. Deum scribit, supremum illum omnium judicem, *hominum alios ad æternam vitam, propter nullam aliam causam solum propter sese & in sese elegisse: alios verò homines in æterno consilio, æterno exitio & supplicio ex sese & propter sese adjudicasse; idq; antequam ipsi fuerint, & aliquid mali fecerint.*

XV. Renechero suffragatur Marloratus in Expos. Ecclesiast. c. 15. Joh. stat. inquit firma sententia: quemcunq; Deus ante orbem elegerit, non posse perire &c. quem verò rejecerit, cum non posse salvari *etiamsi omnia sanctorum opera fecerit; usq; adeò irretectabilis est Dei sententia.*

XVI. Marlorato succinit Georgius Spindlerus im sehr nöthigen bericht pag. 383, Gott/spricht er/hat die Menschen nicht zu einerley endt geschaffen. Dann etliche hat er nach seinem ewigen fürsatz darzu erschaffen/das er sie in Christo Jesu annehme/ zu seinen Kindern vnd sie selig mache: Etliche aber zum Verdammnis/das er sie in ihrer verderbten Natur liegen lasse/auff das seine gestrenge Gerechtigkeit/an ihnen erkläret werde.

C 2

XVII. O

XVII. O blasphemum & horrendum dogma, de quo non absq; causa usurpari possit istud Beati Hieronymi Doctoris Ecclesiastici Eloquentissimi: Hæreticorum dicta & sermones enarrare est refutare & superare. Pater enim prima fronte blasphemia. Nec necesse habet convinci, quod sua statim professione blasphemum est, Tom. 2. Ep. ad Cresiphontem. Nec non istud Irenæi: *Adversus hæreticos victoria est sententia eorum manifestatio* l. 1. c. 25.

XVIII. At enim verò ut partes officij *ελεγκτικῆς* in me suscipiam: ingenuè confiteor, quod ex Zvinglio-Calvinianorum proprijs jam allegatis verbis, nemo piorum non videat, quin verò deprehendat duo hæcultrò absurda profluere & emanare.

XIX. Alterum, quod fideles in summis tentationibus sese contra hanc decreti divini considerationem, nullis consolationibus erigere possunt, quibus semper infallibile Dei decretum ob oculos versatur, quo omnia absoluta necessitate fiant.

XX. Alterum, quod Epicuræi & sibi & alijs fenestram, ad quævis scelera perpetranda, aperiunt.

XXI. Frustra enim homines conari, inquiunt, ut legi ac voluntati Dei conformes fiant, adeoq; temporarias & æternas pœnas effugiant.

XXII. Quos enim Deus decreverit salvandos, hos interna vocatione pro beneplacito voluntatis suæ, tempore, quo minimè cogitant, per spiritum sanctum excitari, ut divinam vocationem sectentur.

XXIII. Reliquos verò occulto Dei decreto, ad æternum exitium, absoluta Dei voluntate destinatos, neq; seriò vocari à Deo, ad pœnitentiam, nec unquam verè illuminari: quia absoluto Dei decreto reprobati sint, ut verè credere non possint, habentes fidem, non veram, sed temporariam: quod eventus demonstrat, cum eos minimè perseverare videmus.

XXIV. His armis instructi Calviniani, cum ex rationis iudicio de prædestinatione, promiscuè pronunciant, omnia elidunt, quæ ad veram pietatem, in animis hominum plantandam, etiam divina adminicula, monstrantur.

XXV. Ad verbum Dei igitur recurrendum, & ad illud omnia nostra cogitata referenda, in quo Deus sese patefecit.

XXVI. In-

XXVI. Intra hos limites nos contineamus, & piaculum esse sentiamus: extra illos evagari: nec ultra progredi cupiamus, quam Spiritus sanctus nobis illic revelavit.

XXVII. Cum autem duplex sit verbum istud, per quod Deus in mentem & intelligentiam nostram se demittit, Lex & Evangelium, necesse est ut dilucidè dicamus, an ex lege, an verò ex Evangelio de Prædestinatione statuendum sit.

XXVIII. Ex lege autem perperam de Prædestinatione & Electione salvandorum pronuntiatur.

XXIX. Quemadmodum enim lex bona præcipit, & mala prohibet, bonis præmia, malis pœnas decernit: sic & Dei decretum humanis meritis applicat, ut pronuntiet salvandos electos esse: quoniam Deus viderit eos bonos fore, quorum meritis æternam vitam tribuat, malos verò damnari, quia Deus viderit, eos malos futuros.

XXX. Cum autem certum sit, propositum & decretum Dei, non in humanis meritis, virtutibus aut operibus, quemadmodum falsò Scholastici Theologi opinati sunt, sed in solius Dei misericordia & Christi merito fundatum esse, hoc quoque hominum de Dei decreto & Prædestinatione planè cœcum est iudicium.

XXXI. Una enim est massa, ex qua universum genus humanum propagatum est: quæ cum peccato infecta sit, iusto Dei iudicio omnes homines, sine discrimine, æterno igni adjudicandi sunt, sive naturam ipsam, sive virtutes & vitia, sive conversationem Deus intueatur.

XXXII. Quapropter aliunde iudicium de Prædestinatione sumendum est, videlicet ex doctrina Evangelij.

XXXIII. Evangelium enim perspicuè de Prædestinatione concionatur hoc modo definiens:

XXXIV. Prædestinatio sive Electio est æterna in Christo ex mera gratia & misericordia, juxta propositum & prænotionem Dei Patris, ad vitam æternam ordinatio hominum per Evangelij prædicationem virtute Spiritus Sancti perseveranter in Christum crediturorum, in laudem gloriosæ gratiæ Dei.

Cujus definitionis singula membra examinabimus.

C 3

33. Defini

XXXV. Definitum est Prædestinatio sive Electio nempe quæ tantum ad bonos & dilectos filios Dei pertinet: & hæc est causa ipsorum salutis, ut disertissime planissimeq; formula Concordiæ in epist. loquitur, de hac sola hoc loco agimus.

XXXVI. Idem autem *προορισμὸν καὶ ἐκλογὴν* notare inde apparet, quia D. Apostolus electos definit *οὓς προώρισε θεὸς* quos Deus prædestinavit Rom. 8. v. 30. & c. 9. v. 11. c. 11. v. 28. vocat *ἐκλογὴν* electionem c. 11. v. 5. *ἐκλογὴν χάριτι* Electionem gratiæ.

XXXVII. Tandem connectit utramque vocem hoc modo: *ἐξελέξατο ἡμᾶς εἶναι ἁγίους, προορίσας ἡμᾶς εἰς υἰοθεσίαν*, Elegit nos, ut essemus sancti, postquam prædestinavit nos in adoptionem filiorum Eph. 1. v. 4. 5.

XXXVIII. Genus in definitione Ordinationem esse diximus, unde collectio prodibit talis: Si prædestinari est ordinari ad vitam æternam, sequitur Prædestinationem esse ordinationem ad vitam æternam. Atqui verum primum. Secundum igitur. Assumptionem probat Apostolus Act. 13. v. 48. *ὅσοι ἦσαν τεταγμένοι εἰς ζωὴν αἰώνιον*, quotquot erant ordinari ad vitam æternam.

XXXIX. Cum autem Ordinatio non sit unius generis, sed pluribus possit accommodari, siquidem in toto universo, sapientissima Dei ordinatio elucet *ὅς πάντα μέτρῳ ἀριθμῶ καὶ σταθμῶν διέταξε*, id est: qui omnia mensura numero & pondere disposuit Sap. 11. v. 21. idè certis modis limitatur & determinatur illud Genus in definitione.

XL. Ac Primo quidem vocatur Ordinatio æterna, hoc est, ab initio ante mundi constitutionem, ante tempora æterna facta, sicut electum illud Dei organon Apostolus Paulus probat Eph. 1. v. 4. 2. Thes. 2. v. 13. 2. Timoth. 1. v. 9. Rom. 9. v. 11.

XLI. Unde firmitas & cæritudo Electionis cognoscitur, ad quam digitum intendit *πληροφροῦν* illa Paulina: Quis nos separabit à charitate Christi? tribulatio an angustia? an persecutio? &c. Persuasus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neque potestates, neq; instantia, neq; futura, neque altitudo, neq; profunditas, neq; aliqua creatura alia poterit nos separare, à charitate Dei, quæ est in Christo Jesu Domino nostro. Rom. 8. v. 35. 38. 39. Item scio cui credidi, &c.

XLII, Hinc

XLII. Hinc non solum in præsentī, de remissione peccatorum certi sumus & non dubitamus; sed de futura quoq; Perseverantia statuimus. Quia stat & manet decretum Dei certum, firmum & ratum, habens signaculum hoc: *Cognovit Dominus existentes ejus* 2. Timoth. 2. v. 18, Item Ioh. 10. v. 14. 28. ait dulcissimus Salvator noster: *Cognosco oves meas, & cognoscor à meis, & non rapiet quisquam eas de manu mea.*

XLIII. Quod verò obijcitur de deficientibus, qui ad tempus credunt Luc. 8. v. 13. Item illud Psalmi 59. v. 29: *deleantur de libro viventium.* Et illud Pauli: *cum timore & tremore operamini salutem vestram* Phil. 2. v. 12. ac similia: quibus dubitatio videtur confirmari, & de perseverantia usque ad finem, neminem posse esse certum, explicatione hæc indigent.

XLIV. Sententia enim Christi de ijs, qui cum gaudio verbum Dei accipiunt, & ad tempus credunt, loquitur de ijs, qui habent aliquem gustum & intellectum verbi Dei, ac gratulantur sibi veriorem ejus cognitionem contra errores, quos jam ex verbo Dei melius instructi intelligunt, quæ multis sine vera animi regeneratione contingunt. Sed hi nunquam arrabonem Spiritus Sancti, quo soli verè electi obsignantur, acceperunt 2. Cor. 1. v. 22. si enim fuissent ex nobis, utique nobiscum mansissent.

XLV. Locus Psalmi vaticinium est, & dira imprecatio in persona Christi contra impios Iudæos, qui ipsam in crucem egerunt, quòd nullum sint locum habituri, inter Electos Dei, cum tamen Pontifices & Sacerdotes præcipui viderentur in populo & Ecclesia Dei, imò columnæ ejus: non quod unquam fuerint scripti in libro viventium, sed quod sibi viderentur electi, sicut posterius epexegetis est priorum, cum immediatè additur: *Et cum justis non scribantur.*

XLVI. Paulus certè minimè dubitandum esse docet de gratia Dei erga nos, remissione peccatorum, salutis æternæ certitudine & perseverantia, pro qua adeò vehementer pugnat: sed carnalem securitatem, superbiam, proximi contemptum, & alia vitia vult excutere, ne fidem peccatis contra conscientiam amittamus, verum sollicitè in timore Domini ambulandum monet, ne gratia Dei abutamur.

47. Alibi

XLVII. Alibi autem & passim in Scripturis, cum certitudine fidei contra dubitationem, donum quoque perseverantiae electis promittitur. Omne quod dat mihi Pater, ad me veniet, & venientem ad me non eiciam foras Joh. 6. v. 37.

XLIX. II. Ordinatio illa non est talis, qualis in cerebro Calvinistarum fingitur videlicet absoluta, cujus mentionem supra fecimus à thet. 11. usque ad 17: sed talis, quæ facta dicitur in Christo. Hinc Apostolus in epist. ad Eph. cap. 1. v. 4. in hæc verba scribit: Elegit nos in ipso (Christo) v. 6. gratificavit nos, hoc est, gratos reddidit in dilectio filio, v. 6. secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo, v. 11. in quo etiam nos prædestinati & c. v. 5. prædestinavit nos per Jesum Christum.

XLIX. Christus enim fundamentum est electionis tanquam mediator Dei & hominum, reconciliator & advocatus noster 1. Timoth. 2. v. 5. Col. 1. v. 20. 1. Joh. 2. v. 1. Rom. 8. v. 34. in quo & per quem justificamur, & qui nos justificavit nostraque justitia est. Act. 4. v. 12. c. 10. v. 43. c. 13. v. 38. c. 15. v. 11. Rom. 3. v. 24. 25. c. 5. v. 17. 19. 1. Cor. 1. v. 30. 2. Cor. 5. v. 18. 19. Gal. 2. v. 16. 17. Jerem. 23. v. 6.

L. Hic est liber vitæ Phil. 4. v. 3. in quo quicumque se scriptum invenit, de sua salute minimè dubitet.

LI. Ut autem intelligas, num tuum quoque nomen in hoc libro sit scriptum, itidem non est, quod tuis cogitationibus in cælum temerè irrumpere coneris. Hic enim ejusmodi hominibus contigit, quod Poetæ de Icaco fabulantur.

LII. Sed prope te verbum est Deuter. 30. v. 11. in quo invenimus, in hoc vitæ libro scriptos, qui vera fide se Christo insertos intelligunt.

LIII. Hoc autem cognitu impossibile non est, cum Apostolus ipse hanc regulam præscribat, dicens: vosmetipsos tentate, si estis in fide, vos ipsos probate 2. Cor. 13. v. 5.

LIV. III. Ordinatio illa facta est ex mera Dei gratia & misericordia Eph. 1. v. 6. in laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua nos gratificavit, v. 7. in quo habemus redemptionem per sanguinem ejus, remissionem peccatorum, secundum divitias gratiæ ejus, qua abundavit in nos, & c. Deus ergo hic non respicit opera hominum præcedentia.

55. Si

LV. Si enim ex operibus, jam non est gratia, inquit Apostolus Rom. 11. v. 6. Adde quod nulla præcedant, cum, antequam essemus nati, aut quicquam boni operis egissemus, adeoq; ante mundi constitutionem nos elegerit. Rom. 9. v. 11. 12. Eph. 1. v. 4.

LVI. Sed neq; propter futura opera bona, quæ Deus videt homines facturos, aut qualitates, quas in eis præscit, eligit eos.

LVII. Nam hoc modo non esset gratuita gratia, sed ex operibus, quod negat Apostolus ad Eph. 2. v. 8. 9. Et sic Deus esset *σωπολήπιτης*, quod contrariatur Sacræ Scripturæ 2. Paralipp. c. 19. v. 7. Malach. 1. v. 9. Syracid. 35. v. 16. 17. Act. 10. v. 34. Rom. 1. v. 11. Gal. 2. v. 6. Coll. 3. v. 25. 1. Pet. 3. v. 17. ac fundamentum salutis nostræ & Prædestinatinnis everteretur.

LVIII. Præterea illa ipsa bona opera, quæ electi faciunt, non ex se habent, sed dono Dei eligentis: Et sic electio causa est bonorum operum, & non e contra. Sicut Apostolus inquit: Elegit nos in ipso, *ut essemus* (non quia futuri eramus) sancti & inculpati. Et sunt etiam in electis in hac vita, imperfecta bona opera. Luc. 17. v. 10, 2. Cor. 3. v. 18. 2. Cor. 14. v. 16.

LIX. Quod si igitur ex operibus nostris de salute & vita æterna statuendum esset, perpetuò nobis dubitandum esset de illis. Ideò ex fide, ut secundum gratiam firma sit promissio Rom. 4. v. 16.

LX. Nihil igitur Deus in nobis invenit, cujus respectu motus, nos ad vitam æternam eligat. In omnibus enim peccatum invenit 1. Joh. 1. vers. 10. Quare si pro sua justitia nobiscum agere veller, omnes damnaret.

LXI. Unde concludit D. Augustinus 6. Hypognost. Tom. 7. Col. 1414. *nostram electionem esse divina voluntatis donum, non humane fragilitatis meritum.*

LXII. IV. Ordinationem illam factam esse juxta propositum disertissimè Paulus testatur in Epist. ad Eph. 1. v. 5. Prædestinavit nos, inquit secundum beneplacitum voluntatis suæ. vers. 9. secundum beneplacitum ejus, quod proposuit in eo v. 11. prædestinati secundum propositum ipsius, qui operatur omnia (in illa electione, secundum consilium voluntatis suæ. Quibus addantur seqq. Rom. 8. v. 28. cap. 9. v. 11. 2. Tim. 1. v. 9.

LXIII. Hoc propositum nihil aliud esse dicimus, quàm Dei

D

confi-

consilium sive beneplacitum, ab aeterno in dilecto suo filio, Domino nostro Jesu Christo dispositum, & per Evangelium nobis revelatum de salute credentium in ipsum.

LXIV. Unde cognoscimus errorem esse longè maximum Calvinianorum, qui affirmant, absoluto Dei simplici, atq; præciso decreto causas omnes antegrediente quosdam esse ad aeternam vitam electos, reliquos reprobatos, qui quum satis superq; supra th. 17. 19. 20. & seqq. sint refutati, hic saltem attendant, quid concilium Arausicanum de ipsorum absoluto decreto statuatur, ejus verba cap. 25. hæc sunt: *aliquos divina potestate ad malum conditos esse, non solum non credimus, sed etsi sunt, qui tantum malum credere velint, illis cum omni detestatione anathema dicimus.*

LXV. V. Ordinationem Dei factam esse secundum præno- tionem affirmat S. Petrus 1. Epist. 1. v. 2. *ἐκλεκτοῖς κατὰ πρόγνωσιν Θεῶ πατρὸς*. Hinc D. Paulus Rom. 8. v. 29. quos præscivit, inquit, hos & prædestinavit. h. e. quos Deus ab aeterno prævidit, præscivit, præcognovit per Evangelij auditum spiritus sancti gratia in Christum constanter credituros, hos prædestinavit atq; elegit ad vitam aeternam.

LXVI. Hic verò ratio humana adversus Deum insurgit, fremit, indignatur, & tumultuatur, & quasi conspiratione facta, uno impetu impietas in Deum fertur, mare quæstionum movet, quo & se excuset, & Deum reum peragat, inq; ipsum damnationis & omnium malorum causam transferat, nec compesci potest, aut sibi satisfieri patitur.

LXVII. De causa enim lapsus protoplastorum disputat, cur Deus cum præviderit ac præcognoverit, non prohibuerit, quo minus peccarent? vel etiam, quòd causa lapsus sua præscientia fuerit, qua homo compulsus aliter facere non potuerit, quàm quod fecit.

LXVIII. Hoc ipsum est, quod illi ipsi primi nostri parentes, statim à lapsu suo horribili jam depravati egerunt, ut causam sui lapsus à se amolientes in Deum authorem transferrent.

LXIX. Atqui Deus accusandus minimè est, qui creavit omnia valde bona, hominem ab initio fecit rectum, & reliquit eum in
manu

manu consilij sui, adjecit mandata & præcepta sua, si volueris mandata conservare, conservabunt te &c. Syracid. cap. 15. vers. 14. 15.

LXX. Cæterùm cur non impedivit, aut cavir, ne peccarent? omnino impedivit & cavir, scilicet per legem expressè promulgatam, ne de arbore vetita comederent, sicut hodiè quoq; legibus impedire satagit omnium hominum quotidiana peccata.

LXXI. Nulla lege alia devinctus erat ampliori creator illis, qui eas vires dedit, ut, si voluissent homines illi, facilè potuissent servare mandata Dei, & vivere.

LXXII. Quid enim facilius, quàm à pomi, à Deo interdicti, esu, propter mandatum Creatoris, abstinere, & magis fidem Deo auctori habere, quàm serpenti?

LXXIII. Lapsus est itaq; homo, propria sua & verè libera voluntate, suoq; vitio à Deo, & sancto ipsius mandato, se avertit, seseq; perdidit.

LXXIV. Non igitur in Dei præscientiam causa lapsus humani, sed in ipsum hominem, qui causa sibi fuit, rejicienda est.

LXXV. Et enim non negamus Deum omnia futura infallibiliter præscire & prævidere, cum iudice August. l. 5. de civ. Dei c. 9. confiteri esse Deum, & negare præscium futurorum, apertissima insania sit; hanc autem *περίγνωσις* & præscientiam, causam efficientem atq; procreatricem esse lapsus primorum parentum & rerum præscitarum, præsertim quæ sint malæ hoc est, quod constanter cum Orthodoxis contra omnes *εἰρεπόδοξος* inficiamur.

LXXVI. Imò Deum multa scire & præscire asserimus & defensamus, quæ nunquam eveniunt, cujus rei manifestum exemplum legimus Matth. 26. v. 53. ubi Christus præscivit, quòd possit in sui defensionem plus quàm duodecim legiones angelorum à Patre cœlesti impetrare, & Matth. 11. v. 21. prævidit, si in Tyro & Sidone tot fuissent factæ virtutes, quot in Corazim & Bethsaida in cilicio & cinere Tyrios & Sidonios pœnitentiam fuisse acturos,

LXXVII. Unde hanc Theologi extruxerunt regulam: Res non pendent à scientia sed scientia à rebus. Non enim quia Deus futura cognoscit, necesse est nos facere, quod ille præscivit, sed quod nos propria voluntate sumus facturi, ille novit futurum, quia Deus est. Et Aug. l. 5. de civ. Dei c. 10. nullo modo cogimur, ait, aut re- tentà præscientia, Dei tollere voluntatis arbitrium, aut reten- to voluntatis arbitrio, Deum negare præscium futurorum, sed utrumque amplectimur, utrumque fideliter & veraciter confi- temur.

LXXVIII. VI. Vocatur ordinatio ad vitam æternam, teste ipsa Sacra scriptura Act. 13. v. 48. quotquot erant ordinati ad vi- tam æternam &c. 1. Tim. 1. v. 16. qui credituri sunt Christo in vi- tam æternam. 2. Thess. 2. vers. 13. Elegit vos Deus ab initio ad sa- lutem.

LXXIX. VII. Hisce addendus summus ille finis, nempe laus gloriosæ gratiæ Dei, cujus meminit Apostolus Eph. 1. v. 6. 12. Prædestinavit nos in laudem gloriæ gratiæ suæ.

LXXX. Sicut enim gloria Dei finis est primus & ultimus omnium Dei actionum, in quibus & per quas declaravit & exeruit infinitam suam sapientiam, potentiam, bonitatem, justitiam, & ut uno verbo dicam divinam majestatem, unde & nos jubemur omnia facere in Dei gloriam 1. Cor. 10. v. 31. sic in electione nostri infinitam suam gratiam, misericordiam & bonitatem demon- stravit, cum nostrorum per & propter filium suum unigeni- tum misertus, in gratiam nos recepit & hæredes scripsit æternæ vitæ.

LXXXI. IIX. Dicitur Electio ordinatio hominum Eph. 1. v. 4. Rom. 9. v. 11. cum nondum essent nati. Non autem omnium sine discrimine hominum, sed τῶν μελλόντων πιστεῦεν ὅτι τῶ χειρῶ eorum qui sunt credituri in Christum 1. Tim. 1. vers. 16. qui futuri sunt filij secundum promissionem Rom. 9. vers. 8. nempe vera in Christo fide 2. Thess. 2. vers. 13. 1. Pet. 1. vers. 5.

LXXXII. Rejicimus hîc 1. Piscatorem illum Herbornen- sem, qui in disputatione de Prædestinatione anno, 1604. Her- bornæ excussa thes. 5. statuit electionem angelorum cui oppo-
nimu

nimus hunc syllogismum : Illi sunt electi ad vitam æternam, qui fuere immersi miseræ propter peccatum, quibus redimendis datus est Christus & Evangelium prædicatur, & Sacramenta administrantur, & per illa ipsi Spiritus Sancti gratia credunt in Christum, & ita remissis peccatis salvi fiunt. Atqui de Angelis hæc non possunt dici. E. beati Angeli non dicuntur electi ad vitam æternam, sed soli homines in Christum credentes.

LXXXIII. 2. Sebastianum Castallionem, qui adversus Calvinum, Bezam & Martinum Borrhaum scripsit: Deum elegisse sine discrimine Omnes homines ad salutem dialog. de Electione pag. 91. excus. Aresdorsij per Theophilum Philadelphum anno 1578. & eodem in libello de Prædestinatione: Saulum, Judam Ischariot, &c. ad fidem & salutem electos fuisse contendit pag. 392, & 397.

LXXXIV. 3. Franciscum Puccium patria Florentinum, qui anno saultis 1592. Goudæ edidit scriptum Satanicum, dedicatum ipsi Papæ, in quo sub splendido titulo, de Christi Servatoris efficacia in omnibus & singulis hominibus hoc summarim agit, ut persuadeat omnes homines cujuscunq; sint maneatq; religionis, certò æternam salutem consequi; Vide virum Reverendum, Clarissimum atque Excellentissimum Dn. Doctorem Ambrosium Reudenium, Professore ac Seniore facultatis Theologicæ Jen. affinem mihi plurimum colendum, in disput. de Iustificat. quam Jenæ habuit anno 1610. th. 78.

LXXXV. 4. Samuelen Huberum Helvetium, qui absurdam, improbaramq; phrasin Electionis universalis defendit, cujus verba hæc sunt: Deus, inquit, ab æterno omnes sine ulla planè discretionem, homines ad vitam æternam elegit in Christo Iesu, sive in hunc Iesum Christum credant, sive non &c. vide Ægidium Hunnium magnum illum Doctorem Theol. puriorisq; religionis assertorem, in libr. de provid. Dei p. 99. 100. Edit. Francofurt. Anno 97. & Huberum, ipsum statuentem, in volum. thes. Tübingæ impresso anno 1592. pag. 220. thes. 757. Electionem totum genus humanum complecti, & omnes in gratiam receptos esse pag. 292 th. 1001.

LXXXVI. Sed illud falsissimum esse dogma sic ostendo: Quodcunque dogma, in *αὐτομάτῃ* Theologiæ principia turpiter impin-

git. 2. vim infert vocabulo Eligendi. 3. adversatur formulæ Concordiæ, id meritò ceu ἀθεόλογον, ἀτοπον καὶ ὠδύδοξον fugiendum & improbandum. Atqui omne dogma de simplici Universalis electione omnium indifferenter hominum, tale est. E. Ceu ἀθεόλογον, ἀτοπον καὶ ὠδύδοξον fugiendum & improbandum.

LXXXVII. Assumptionis certitudinem atq; evidentiam, ut evolvam ac demonstrarem necessum est.

LXXXVIII. Primò igitur in αὐτόπιστι Theologiæ principia turpiter impingit, id quod cum V. tum N, 1. demonstrat.

LXXXIX. V. T. Deut. 7. v. 6. c. 14. v. 2. Te elegit (ἐξελέξατο) Dominus Deus tuus, ad existendum ei in populum peculi præ omnibus populis, qui super facies humi (sc. sunt) quibus addantur seqq. 1. Reg. 19. v. 8. Psal. 65. v. 5. Esa. 4. v. 2. 3.

XC. N. T. Matth. 20. v. 16. c. 22. v. 14. πολλοὶ εἰσι κλιτοὶ, ὀλίγοι ἐκλεκτοὶ nempe si conferantur cum longè maxima multitudine reproborum. Marci 13. v. 20. propter electos quos elegit Dominus brevabit dies, vide quoq; Luc. 10. v. 20. Ioh. 15. v. 16. Act. 13. v. 48. 1. Cor. 1. v. 26. 27. 28. &c.

XC I. Secundo vim infert vocabulo eligendi (ἐξελέξατο) quod segregationem sive separationem semper & ubiq; notare Sacra Scriptura evidenter demonstrat Gen. 6. v. 2. Et viderunt Filij Dei (id est filij sanctorum hominum teste D. August. lib. 15. de civ. Dei c. 23.) filias hominum, quòd pulchræ essent, & acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt (ἐξελέξατο) sic Loth elegit sibi pluriem Gen. 13. v. 11. Sic David è tribus malis sibi propositis, unum elegit, pestem 2. Sam. 24. v. 12. &c.

XC II. Tertiò. Adversatur formulæ Concordiæ. Hæc enim in declaratione solida, ubi tum ἀποφατικῶς Universalitas omnium refellitur, tum καταφατικῶς electio paucorum astruitur, verbis sequentibus: Aeterna electio seu prædestinatio Dei ad salutem, NON SIMUL ad bonos & ad malos pertinet, sed tantum ad filios Dei, qui ad vitam æternam consequendam electi & ordinati sunt, priusquam mundi fundamenta jacerentur, ut Apostolus testatur, inquit: Prædestinavit NOS in adoptionem filiorum, per Christum Jesum in ipsum, Eph. 1. v. 5. Rursus, eadem declarat.

rat. pag. 778. Edit. Lips. anni 84. *Nequaquam* sentiendum est, ut pat-
lò ante monuimus eos etiam in Electorum numero habendos, qui
verbum Dei contemnunt, repellunt, execrantur atque persequun-
tur: qui audito verbo corda sua, contra illud obfirmant: qui Spi-
ritui Sancto resistunt: qui in peccatis absque pœnitentia perseve-
rant: neque in Christum verè credunt: externa tantum specie pie-
tatem præ se ferunt: aut extra Christum alias justitiæ & salutis ra-
tiones quærunt, Matth. 22. Act. 15. Hebr. 4. Act. 7. Luc. 14. Marc.
16. Matth. 7. Rom. 9.

XCIII. IX. Ordinatio dicitur fieri per Evangelij prædica-
tionem & virtute Spiritus Sancti. Nam quos Deus ad vitam æter-
nam elegit & prædestinavit, illos non immediatè salvat, sed or-
dine à se instituto utitur.

XCIV. Et hic est ordo, per quem Deus nostram salutem
operatur: Quòd, quos ab æterno elegit & prædestinavit, deinde
per verbi sui ministerium vocat 2. Thes. 2. v. 13. 14. 2. Timoth. 1. v.
10. Ephes. 1. v. 9. atque sic vocatos efficacia Spiritus Sancti movet
Act. 16. v. 14. Tit. 3. v. 5. 2. Corint. 3. v. 6. 8. ut vocationi obtempe-
rent, ac Christum in verbo promissionis oblatum, fide ample-
ctentes justificentur, & denique glorificentur. Rom. 4. v. 24. 6. 8. v.
30. Act. 10. v. 43.

XC V. Ut hoc modo, non alia sit Prædestinationis & Ele-
ctionis, alia justificationis gratuitæ, per & propter Christum fide
apprehensum, causa, nullaq; alia media, quàm ea, quæ Deus in
Scriptura Sacra patefecit, offert, & hoc modo, ac per ista media no-
stram salutem operatur.

XCVI. Quare cùm de Electione & Prædestinatione Dei cogi-
tamus, non adyta Dei perumpere conemur, hoc enim esset in cœ-
lum absq; scala ascendere, & *αὐτὸ ἐξ ἑαυτοῦ*: sed ab infimo gradu or-
diendum.

XC VII. Initio verbum Dei audiendum, & ex illo voluntas
Dei erga nos & salutis ratio, quos videlicet, & quomodo salvare
velit, cognoscenda.

XC IIX. Deinde Christus in cunis & præsepe quærendus, qui
puer natus est *Nobis* & filius *datus Nobis* Esa. 9. v. 6. Luc. 2. v. 11.
Iohan. 3. vers. 16. in quo omnes thesauri sapientiæ & scientiæ
Dei

Dei sunt reconditi Col. 2. v. 3. qui factus est nobis sapientia à Deo, justitia, sanctificatio, & redemptio 1. Cor. 1. v. 30. qui nobis imper-vestigabilem aliàs & reconditam Dei sapientiam atque arcanam voluntatem Patris patefecit in verbo suo Ioh. 1. v. 18. ubi se quaeriac vera fide apprehendi vult.

C. Sic enim ait: Hæc est voluntas (æterna & immutabilis) mittentis me, ut omnis qui videt filium & credit in eum, habeat vitam æternam & ego resuscitabo eum in novissimo die. Iohan. 6. v. 40. quæ quidem summa est totius Evangelij, quod Apostolus vocat mysterium æternis temporibus tacitum, nunc autem patefactum per Scripturas Rom. 16. v. 25. 2. Timoth. 1. v. 10. Eph. 3. vers. 9.

CI. Hinc S. Paulus ad 1. ad Corinth. 1. v. 1 ait, quod Deo placuerit per stultitiam prædicationis salvos facere credentes. Et ut eò melius hæc res tota explicetur, confirmat hanc sententiam ex Electione Dei v. 27. dicens: quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes &c. cui consentit Iacobus c. 2. v. 5. Nonné, Deus elegit, inquit, pauperes in hoc mundo divites in fide, hoc est credentes?

CII. Ex quibus manifestissimum evadit, Dei ad vitam nos eligentis voluntatem, consilium ac beneplacitum non esse absolutum, uti supra contra Calvinianos asseruimus, sed in fide Christi ordinatum.

CIII. X. Denique fit in definitione nostra mentio perseverantiæ in fide, quam omninò necessariam esse confitemur, adeò ut axioma hoc verissimum sit: Nullus salvabitur nisi permanserit in vera fide.

CIV. Unde B. Ambrosius (qui circiter annum 30. ætatis suæ à Manichæismo ad Christianismum conversus) ait: *qui credere videntur, & non permanent in fide certa, illi à Deo electi negantur, ratio hæc est, quia, inquit, quos Deus elegit apud se permanent.* Vide ejus Comment. ad Rom. c. 8.

CV. Hanc sententiam quoque Scripturæ mole, tanquam exercitu cœlesti, possumus circumdare. Sic enim ait Christus veritas ipsa Matth. 10. v. 22. qui perseveraverit usque in finem, is salvus erit, quod repetitur Matth. 24. v. 13. Marc. 13. v. 13. Quò pertinet illud

illud Apoc. 2. v. 10, **Esto fidelis usq; ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ.**

CVI. Ex quibus fluit quæstio: An illi, qui veram fidem habent, eam amittere, ex Dei gratia excidere, & spiritum sanctum per peccata contra conscientiam expellere possint.

CVII. Cujus negativam tenent Calviniani, Beza in resp. 2. ad Coll. Mompelg. pag. 68. ad pag. 87. c. 4. de sp. S. sect. 20. Hieronymus Zanchius in miscell. fol. 72. Piscator Herborenensis in disp. de prædest. & analys. in cap. 11. ad Rom. observ. ex v. 29. passimq; in Germ. Bibliorum vers. ad cap. 8. ad Rom. doct. 22. cap. 11. doct. 8. 1. Tim. 1. doct. ad v. 19. 2. ad Timoth. 2. doct. 7. ad v. 9. Jacobus Grynæus in thes. de orthod. fid. class. 3. loc. 1. pag. 47. Polanus lib. 7. part. Theol. pag. 213. &c.

CVIII. Nos verò cum verè Lutheranis & August. confess. art. 12. ejusq; apologia art. 20. affirmativam sententiam amplectimur.

CIX. Verè enim fidem ac sp. S. amisit David (vir secundum cor Dei Act. 13. v. 22.) cum commisisset adulterium & homicidium, malumq; fecisset in conspectu Dei. 2. Sam. 12. v. 19. inde filius mortis in Dei judicio censetur ibid. v. 5. 13.

CX. Frivola igitur & perquam nugatoria est exceptio illorum asserentium Davidem post commissum adulterium & homicidium spiritum sanctum & fidem retinuisse, quum absq; spiritu S. tam ardentes preces Psal. 51. fundere non potuisset. Vide Bezam. in brevi explicat. Christ. c. 4. aphor. 12. & Resp. 2. ad Colloq. Mompelg. p. 73. & 79.

CXI. Equis enim est qui ne sciat, Davidem post concionem illam Nathanis 1. Sam. 12. vers. 13. *Dominus abstulit peccatum tuum non morieris*: Demum hunc Psalmum 51. composuisse, ut inscriptio ejus luculenter testatur, quum nimirum fuisset in gratiam Dei receptus, & rursus donatus fide & spiritu sancto. Unde hoc tristi casu edoctus tam atdenter orat v. 13. spiritum sanctitatis tuæ (*רוח קדש*) ne auferas à me, nimirum sicut antea per adulterium cum excusseram, interpretare D. M. Sebastiano Artomede concionatore Borussæ, in concionib. super Psal. 51. Davidis pag. 527.

CXII. Quid? quod eadem Davidis oratio; spiritum sanctitatis tuæ ne auferas à me &c. ijs, qui non obstinati sunt, omnem dubi-

C

tatio-

tationis scrupulum facile eximat. Si enim spiritus sanctus amitti nullo modo posset, pro illo retinendo tam devotè Deum orare necessum haud fuisset.

CXIII. Et veritatis hujus tanta vis est, ut inter adversarios etiam repertus fuerit, qui testimonium daret. Sic enim Petrus martyr in locis fol. 910. c. de fide ejusq; certitudine scriptum reliquit. *Non admittimus, inquit, eos dum in peccatis versantur, fidem habere.*

CXIV. Stat igitur inconcussa nostra sententia licet frendeas ac fremat ortus & orcus, cui quoq; consentit Apostolus, eos enim verè excidere posse, qui verè bonæ olivæ inserti sunt apertè testatur.

CXV. Quemadmodum etiam, qui ex naturali excisi oleastro, contra naturam inseruntur olivæ bonæ, cum inquit: vide bonitatem & severitatem Dei, in eos quidem, qui crediderunt, severitatem, in te autem bonitatem Dei si permanseris, alioquin & tu excideris: sed & illi si non permanserint in incredulitate inserentur. Rom. II.

CXVI. Ideoq; non sumus malè & impiè securi de gratia Dei, nec nostris meritis aut viribus fidamus: sed solius Christi gratia, merito & potentia, qua sola, contra carnem, Diabolum & mundum, sumus muniti, spe futuræ gloriæ, semper exultantes, in timore & tremore salutem nostram operemur, ne per incredulitatem, aut alia peccata, hac gratia Dei aut fide excidamus, sed in Christo Immanuele nostro perpetuè conservemur. Cui unà cum Deo æterno Patre, & Spiritu sancto, sit laus honor & gloria, in omne ævum. Amen.



Ad



Ad

Humanissimum & Doctissi-
mum Dn. Respondentem.

Strenue Trinckusi sacrarum potor
aquarum
Faucibus expectas avidis & ad-
huc novus hospes

Nobiliore nota latices? & ut hoc tua potu
Guttura anhelamagis rores, largè tibi ponis
Ipse scyphos, imples & dulci nectare prudens?
Scilicet ire viâ veteri sic currere pergis.
Nam tua quæ ad Lanum celebrem sitis orate-
nebat

Ad Salamq; tuas fauces vehementior ussit:
Hic eadē sibi poscit aquas apud Albidos undas.
Inunc, è vivis has liba fontibus undas,
Numq; tuum possis aestum restinguere tenta:
Arbitror, haud poteris. Nam nullo extingui-
tur haustu

Hæc

*Hac Isr aëlis qua limpida flumina verè
Appetijt sumsitq; sitis: fateatur oportet.
Se captisse simul vitã qui hunc attigit amnem:
At pestem bibit aeternam, qui proluit ora
Am sancto tuo ô atra cohors, quo condita
Erynnis*

*Occultumq; tuum Decretum, quo labefactas,
Evertis, perdis meritum benefactaq; CHRI-
STI*

*Atq; hominum ingentem numerum detrudis
ad Orcum.*

*Hos tibi sulphureos latices cratere propinet
Ipse tibi infausto stygis hospes, donec & hospes
Ipse ad eum redeas, & te submergat in illis.*

*E bibe Trinckuli sibi quas nunc ipse propinas,
Lymphas, his animamq; tuam benè perlue do-
ctam,*

Electo donec nectar tibi Jovã propinet.

De properabat

*Johannes Ludovicus Betulius
Egranus S. S. Theolog. Studios.*

F I N I S.

AB: 15067

ULB Halle
003 019 209

3




36.





1750
GEBHART WOLFFEN
BUCHHÄNDLER
HAMBURG



2d

DISPUTATIONUM THEOLOGICA
RUM DE PRÆCIPUIS FIDEI
CHRISTIANÆ ARTICULIS,
III.
De
PROVIDENTIA DIVINA
ET
PRÆDESTINATIONE SIVE
ELECTIONE FILIORUM DEI
AD VITAM AETERNAM
Quam
In celeberrima Academia VVittebergenſi
IMMANUELE Auxiliante
SUB PRAESIDIO
VVOLFGANGI FRANZII,
SS. Theologiae Doctoris & Professoris
publici,
Collegis examinandam proponit
M. HIERONYMUS TRINCKUSIUS
Mæno-Francofurtanus.
IN TEMPO ARCIS
Idibus Januarij.

VVITTEBERGÆ,
Ex Officina Johan. Gormanni
ANNO M. DC. XII.

